



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

De clementia, & mansuetudine, quæ sunt partes temperantiæ. Quæstio  
157.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38803**

esse sine ratione: non quia totaliter auferat iudicium rationis, sed quia in nullo procedit secundum iudicium rationis. Et ex hoc est turpior.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit ex parte eorum, in qua incontinens deducitur.

QVÆST. CLVII.

De clementia & mansuetudine, in quatuor articulos diuisa.

Postea considerandum est de Clementia, & Mansuetudine, & vitijs oppositis.

- ¶ Circa ipsas autem virtutes queruntur quatuor.
- ¶ Primo, utrum clementia & mansuetudo sint idem?
- ¶ Secundo, utrum vtraque earum sit virtus?
- ¶ Tertio, utrum vtraque earum sit pars temperatiæ?
- ¶ Quarto, de comparatione earum ad alias virtutes.

ARTIC. I.

Utrum clementia & mansuetudo sint penitus idem? 762

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod clementia & mansuetudo sint penitus idem. Mansuetudo enim est moderatiua irarum, ut Philosophus dicit in 4. Ethic. Ira autem est appetitus vindictæ. Cùm ergo clementia sit lenitas superioris aduersus inferiorem in constituendis pœnis, ut Seneca dicit in secundo de Clemētia; ¶ per pœnas autem sit vindicta: videtur quod clementia & mansuetudo sint idem.

¶ 2 Præterea, Tullius dicit in 2. Rhet. quod clementia est virtus, per quam animus temere concitatus in odium alicuius, benignitate retinetur: & sic videtur quod clementia sit moderatiua odij. Sed odium ut Aug. ¶ dicit, causatur ab ira; circa quam est mansuetudo & clementia. Ergo videtur quod mansuetudo & clementia sint idem.

¶ 3 Præterea, Idem vitium non contrariatur diuersis virtutibus. Sed idem vitium opponitur mansuetudini & clementiæ, scilicet crudelitas. Ergo videtur quod mansuetudo & clementia sint penitus idem.

SED

inf. ar. 4.  
ad 3. Et  
3. dif. 33.  
q. 3. a. 2.  
q. 1. ad 2  
\* l. 4. c. 5.  
20. 5.  
† l. 1. c. 3.  
cir. prin.  
l. 2. de in-  
uentione  
in sol. 3.  
ante fi. li.  
† In ter-  
tia regis-  
la quæ in  
cipit, an-  
te oīa fr-  
tres h. a.  
rissi. d. 1.

Post. ar.  
gu. hu.  
114 ar.

SEID. contra est, quod secundum prædictam diffinitionem Seneca \*, clementia est lenitas superioris aduersus inferiorem. Mansuetudo autem non solum est superioris ad inferiorem, sed cuiuslibet ad quemlibet. Ergo mansuetudo & clementia non sunt penitus idem.

li. 2. c. 3.  
10. 5.

RESPONDEO dicendum, quod sicut dicitur in secundo Ethicorum \*, virtus moralis consistit circa passiones & actiones. Passiones autem interiores sunt exteriorum actionum principia, aut etiam impedimenta. Et ideo virtutes quæ moderantur passiones, quodammodo concurrunt in eundem effectum cum virtutibus quæ moderantur actiones, licet specie differant. Sicut ad iusticiam propriè pertinet cohibere hominem à furto, ad quod aliquis inclinatur per inordinatum amorem vel concupiscentiam pecuniæ, quæ moderatur per liberalitatem. Et ideo liberalitas concurret cum iustitia in hoc effectu, qui est abstinere à furto. Et hoc etiam considerandum est in proposito. Nam ex passione iræ prouocatur aliquis ad hoc quod grauiorem inferat pœnam. Ad clementiam autem pertinet direcè quod sit diminutiua pœnarum. Quod quidem impediri posset per excessum iræ. Et ideo mansuetudo in quantum refrænât impetum iræ, concurret in eundem effectum cum clementia. Differunt tamen ab inuicem, in quantum clementia est moderatiua exterioris punitionis, mansuetudo autem propriè diminuit passionem iræ.

Ad primum ergo dicendum, quod mansuetudo propriè respicit ipsum vindicæ appetitum. Sed clementia respicit ipsas pœnas, quæ exterius adhibentur ad vindicam.

Ad secundum dicendum, quod affectus hominum inclinatur ad minorationem eorum, quæ homini per se non placent. Ex hoc autem quod aliquis amat alium, prouenit quod non placet ei per se pœna eius: sed solum in ordine ad aliud, puta ad iusticiam vel ad correctionem eius qui punitur. Et ideo ex amore prouenit,

nit, quod aliquis sit promptus ad diminuendum pœnas, quod pertinet ad clementiam: & ex odio impeditur talis diminutio. Et propter hoc Tullius dicit\*, *loc. cit. in arg.* quod animus concitatus in odium, scilicet ad grauius puniendum, per clementiam retinetur: ne scilicet acriorem pœnam inferat, non quod clementia sit directè odij moderatiua, sed pœnæ.

Ad tertium dicendum, quod mansuetudini quæ est directè circa iras, propriè opponitur vitium iracundia, quod importat excessum iræ: sed crudelitas importat excessum in puniendo. Vnde dicit Seneca in 2. de Clementia\*, quod crueles vocantur qui puniendi causam habent, modum tamen non habent. Qui autem in pœnis hominum propter se delectantur etiam sine causa, possunt dici sæui vel feri, quasi affectum humanum non habentes, ex quo naturaliter homo diligit hominem.

ARTIC. II.

*Vtrum tam clementia quàm mansuetudo sit virtus?* 762  
 Ad secundum sic proceditur. Videur, quod neque clementia, neque mansuetudo sit virtus. Nulla enim virtus alteri virtuti opponitur. Sed vtraque videtur opponi seueritati, quæ est quædam virtus. Ergo neque clementia, neque mansuetudo est virtus. *inf ar. 3. cor. Et 3. d. 26 q. 2 a. 2. ad 4*

¶ 2 Præterea, Virtus corrumpitur per superfluum & diminutum. Sed tam clementia quàm mansuetudo in quadam diminutione consistunt. Nam clementia est diminutiua pœnarum, mansuetudo autem est diminutiua iræ. Ergo neque clementia, neque mansuetudo est virtus.

¶ 3 Præterea, Mansuetudo siue mititas ponitur Matth. 5. inter beatitudines, & inter fructus ad Gal. 5. Sed virtutes differunt, & à beatitudinibus, & à fructibus. Ergo non continetur sub virtute.

SED contra est, quod dicit Seneca in secundo de Clementia\*, Clementiam & mansuetudinem omnes viri boni præstant. Sed virtus est propriè quæ pertinet ad bonos viros. Nam virtus est quæ bonum facit. *li. 2. c. 5. in prin. cit*

cit habentem, & opus eius bonum reddit: vt dicitur secundo Ethicorum \*. Ergo clementia & mansuetudo

li. 2. c. 6.  
10. 5. sunt virtutes.

li. 1. c. vii.  
10. 5.

li. 2. c. 5.  
parum à  
pr. n.  
† li. 4. c. 5.  
10. 5.

RESPONDEO dicendum, quòd ratio virtutis moralis cōsistit in hoc, quòd appetitus rationi subdatur, vt patet per Philosophum in 1. Ethic. \*. Hoc autem seruat tam in clementia quàm in mansuetudine. Nam clementia in diminuendo pœnas aspicit ad rationem, vt Seneca dicit in secundo de clementia \*. Similiter etiam mansuetudo secundum rationem rectam moderatur iras, vt dicitur in 4. Ethic. † Vnde manifestum est quòd tam clementia quàm mansuetudo est virtus.

arti. præc.

Ad primum ergo dicendum, quòd mansuetudo non directè opponitur seueritati. Nam mansuetudo est circa iras, seueritas autem attenditur circa exteriorum infirmitatem pœnarum. Vnde secundum hoc videretur magis opponi clementiæ, quæ etiam circa exteriorum punitionem consideratur, vt dictum est \*. Non tamen opponitur, eo quòd vtrumque est secundum rationem rectam. Nam seueritas inflexibilis est circa infirmitatem pœnarum, quando hoc recta ratio requirit. Clementia autem diminutiua est pœnarum, etiam secundum rationem rectam, quando scilicet oportet, & in quibus oportet: & ideo non sunt opposita, quia non sunt circa idem.

lib. 4. c. 5.  
10. 5.

in coniu-  
ratione  
Catilina  
in c. cu-  
ius titu-  
lus est,  
Casaris  
oratio an-  
te med.

Ad secundum dicendum, quòd secundum Philosophum in 4. Ethic. \* habitus qui medium tenet in ira, est innominatus. Et ideo virtus nominatur à diminutione iræ, quæ significatur nomine mansuetudinis: et quòd virtus propinquior est diminutioni quàm superabundantiæ, propter hoc quòd naturalius est homini appetere vindictam iniuriarum illatarum, quàm ab hoc deficere: quia vix alicui nimis parum videtur iniuriæ sibi illatæ, vt dicit Sallustius \*. Clementia autem est diminutiua pœnarum, non quidem in respectu ad id quod est secundum rationem rectam, sed in respectu ad id quod est secundum legem communem, quàm

quam respicit iustitia legalis. Sed propter aliqua particularia considerata, clementia diminuit penas, quasi decernens hominem non esse magis puniendum. Unde dicit Seneca in secundo de Clementia †, Clementia hoc primum præstat, ut quos dimittit, nihil aliud illos pari debuisse pronuntiet. Venia verò, debita: pena remissio est. Ex quo patet quòd clementia comparatur ad severitatem, sicut epikia ad iustitiam legalem: cuius pars est severitas quantum ad inflictionem penarum secundum legem. Differt tamen clementia ab epikia, ut infra dicetur \*.

† l. 2. cir.  
f. illius.

Ad tertium dicendum, quòd beatitudines sunt actus virtutum. Fructus autem sunt delectationes de actibus virtutum. Et ideo nihil prohibet mansuetudinem poni & virtutem, & beatitudinem, & fructum.

ar. 3. seq.  
ad 1. ar.

764  
su. 9. 143.  
co. & ad  
2. & inf.  
9. 161. a.  
4. con. Et  
2. dif. 44.  
9. 2. a. 1.  
ad 2. Et  
3. dif. 35.  
9. 3. a. 2.  
\* a. d. 6.  
2. prac.  
† l. 5. r. 10.  
\* 9. 120.  
ar. 2.  
† l. 2. c. 4.  
cir. med.  
\* l. 2. c. 3.  
cir. prin.  
† lib. 2. de  
inven.  
n. f. 2. an  
te su lib.

ARTIC. III.

*Utrum prædicta virtutes sint partes temperantia?*

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quòd prædictæ virtutes non sint partes temperantia. Clementia enim est diminutiva penarum, ut dictum est \*. Hoc autem Philosophus in quinto Ethicorum † attribuit epikia, quæ pertinet ad iustitiam, ut supra habitum est \*. Ergo videtur quòd clementia non sit pars temperantia.

¶ 2. Præterea, Temperantia est circa concupiscentias. Mansuetudo autem & clementia non respiciunt concupiscentias, sed magis iram & vindictam. Non ergo debent poni partes temperantia.

¶ 3. Præterea, Seneca dicit in 2. de Clementia †, Cui voluptati sevitia est, possumus insaniam vocare. Hoc autem opponitur clementia & mansuetudini.

Cum ergo insania opponatur prudentia, videtur quòd clementia & mansuetudo sint partes prudentia, magis quam temperantia.

SED contra est, quòd Seneca dicit in 2. de Clement. \* quòd clementia est temperantia animi in potestate viciscendi. Tullius † etiam ponit clementiam partem temperantia.

RE-

RESPONDEO dicendum, quòd partes assignantur virtutibus principalibus, secundum quòd imitantur ipsas in aliquibus materijs secundarijs, quantum ad modum, ex quo principaliter dependet laus virtutis, unde & nomen accipit: sicut modus & nomen iustitiæ in quadam æqualitate consistit: fortitudinis autem in animi quadam firmitate: temperantiæ autem in quadam refrenatione, in quantum scilicet refrenat concupiscentias vehementissimas delectationum tactus. Clementia autem & mansuetudo similiter in quadam refrenatione consistunt: quia scilicet clementia est diminutiva pœnarum, mansuetudo verò est mitigativa iræ, ut ex dictis patet \*. Et ideo tam clementia quam mansuetudo adiunguntur temperantiæ sicut virtuti principali. Et secundum hoc ponuntur partes temperantiæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd in diminutione pœnarum duo sunt consideranda: quorum vnum est, quòd diminutio pœnarum fiat secundum intentionem legislatoris, licet non secundum verba legis. Et secundum hoc pertinet ad episkiam. Aliud autem est, quædam moderatio affectus, ut homo non utatur sua potestate in inflictione pœnarum. Et hoc proprie pertinet ad clementiam: propter quod Seneca dicit \*, quòd clementia est temperantia animi in potestate vlciscendi. Et hæc quidem moderatio animi procedit ex quadam dulcedine affectus, qua quis abhorret omne illud, quòd potest alium contristare. Et ideo dicit Seneca \*, quòd clementia est quædam lenitas animi. Nam e conuerso austeritas animi videtur esse in eo qui non veretur alios contristare.

Ad secundum dicendum, quòd adiunctio virtutum secundariorum ad principales, magis attenditur secundum modum virtutis, qui est quasi quædam forma eius, quam secundum materiam. Mansuetudo autem & clementia conueniunt cum temperantia in modo, ut dictum est \*. licet non conueniant in materia.

Ad tertium dicendum, quòd insania dicitur per

corruptionem sanitatis: Sicut autem sanitas corporalis corrumpitur per hoc quod corpus recedit à debita complexione humanæ speciei: ita etiam infania secundum animam accipitur per hoc, quod anima humana recedit à debita dispositione humanæ speciei. Quod quidem contingit & secundum rationem, puta cum aliquis usum rationis amittit: & quantum ad vim appetitivam, puta cum aliquis amittit affectum humanum, secundum quem homo est naturaliter omni homini amicus, ut dicitur in octavo Ethicorum\*. Infamia autem quæ excludit usum rationis, opponitur prudentiæ: Sed quod aliquis delectetur in pœnis hominum, dicitur esse infania: quia per hoc videtur homo privatus affectu humano, quem sequitur clementia.

li 8. c. 1.  
tom. 1.

ARTIC. IV.

Utrum clementia & mansuetudo sint potissima virtutes?

765

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod clementia & mansuetudo sint potissimæ virtutes. Laus enim virtutis præcipue consistit in hoc quod ordinet hominem ad beatitudinem, quæ in Dei cognitione consistit. Sed mansuetudo maximè ordinet hominem ad Dei cognitionem. Dicitur enim Iac. 1. In mansuetudine suscipite iustum verbum. & Ecclesiast. quinto, Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei. Et Dionys. 4 dicit in epistola ad Demophilum, Moysen propter multam mansuetudinem Dei apparitione dignum habitum. Ergo mansuetudo est potissima virtutum.

in princ.  
epist. 8.

¶ 2 Præterea, Tanto virtus aliqua videtur esse potior, quanto magis acceptatur à Deo & ab hominibus. Sed mansuetudo maximè videtur acceptari à Deo. Dicitur enim Eccles. 1. quod beneplacitum est Deo fides & mansuetudo. Vnde specialiter ad suam mansuetudinis imitationem Christus nos inuitat, dicens, Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Et Hilarius dicit\* quod per mansuetudinem mentis nostræ habitatur.

Canone  
4. Mat.  
nō remō-  
dē a pri-  
tat



tat Christus in nobis. Est etiam hominibus acceptissima. Vnde dicitur Eccles. 3. Fili, in mansuetudine perfice opera tua, & super hominum gloriam diligere. Propter quod & Prouerb. 20. dicitur, quod clementia thronus regius roboratur. Ergo mansuetudo & clementia sunt potissimæ virtutes.

*L. x. c. 3. a  
m. t. 4.*

¶ 3 Præterea, Aug.\* dicit in lib. de serm. Dom. in monte, quod imites sunt qui cedunt improbitatibus, & non resistunt in malo, sed vincunt in bono malo. Hoc autem videtur pertinere ad misericordiam vel ad pietatem, quæ videtur esse potissima virtutum: quia super illud 1. ad Tim. 4. Pietas ad omnia utilis est, dicit

*Amb. in  
hunc lo-  
cum Pau-  
li, 20. 5.*

gloss. Ambros.\* quod summa religionis Christianæ in pietate consistit. Ergo mansuetudo & clementia sunt maximæ virtutes.

SED contra est, quod non ponuntur inter virtutes principales, sed adiunguntur alteri virtuti quasi principaliori.

RESPONDEO dicendum, quod nihil prohibet aliquas virtutes non esse potissimas simpliciter, nec quo ad omnia, sed secundum quid, & in aliquo genere. Non autem est possibile, quod clementia & mansuetudo sint potissimæ virtutes simpliciter: quia laus earum attenditur in hoc quod retrahunt a malo, in quantum scilicet diminuunt iram vel peccata. Perfectius autem est consequi bonum, quam carere malo. Et ideo virtutes quæ simpliciter ordinant in bonum, sicut fides, spes, charitas, & etiã prudentia, & iustitia, sunt simpliciter maiores virtutes quam clementia & mansuetudo. Sed secundum quid nihil prohibet clementiam & mansuetudinem habere quandam excellentiam inter virtutes quæ consistunt affectionibus prauis. Nam ira quæ mitigatur mansuetudo, propter suum impetum maxime impedit hominem ne liberè iudicet veritatem. Et propter hoc mansuetudo maxime facit hominem esse competentem. Vnde dicitur Eccles. 10. Fili, in mansuetudine serua animam tuam) quamuis concupiscentiæ delectationi tãtus sint turpiores, & magis continue infestent: propter quod

temperantia magis ponitur virtus principalis, ut ex didis patet\*. Clementia verò in hoc quòd dimi-  
nuit penas, maximè videtur accedere ad charitatem, quæ est potissima virtutum, per quam bona operamur ad proximos, & eorum mala impedimus. 9. 141. a.  
7. ad 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd mansuetudo præparat hominem ad Dei cognitionem, remouendo impedimentum. Et hoc dupliciter. Primo quidem, faciendo hominem compotem sui per diminutionem iræ, ut dictum\* est. Alio modo, quia ad mansuetudinem pertinet quòd homo non contradicat verbis veritatis: quod plerumque aliqui faciunt ex commotione iræ. Et idè August. dicit in 2. de Doct. Christi. \* quòd miscere est non contradicere diuinæ scripturæ, siue intellectæ, si aliqua vitia nostra percutit; siue non intellectæ, quasi nos melius sapere veriusque percipere possemus. In co. ar.  
cap. 7. in  
prin. t. 3.

Ad secundum dicendum, quòd mansuetudo, & clementia reddunt hominem Deo, & hominibus acceptum, secundum quòd concurrunt in eundem effectum cum charitate, quæ est maxima virtutum, scilicet in subtrahendo mala proximorum.

Ad tertium dicendum, quòd misericordia, & pietas conueniunt quidem cum mansuetudine, & clementia, in quantum concurrunt in eundem effectum, qui est prohibere mala proximorum. Differunt tamen quantum ad modum. Nam pietas remouet mala proximorum ex reuerentia quam habet ad aliquem superiorem, puta ad Deum, vel parentem. Misericordia, verò remouet mala proximorum; ex hoc quòd in eis aliquis contristatur, in quantum æstimat ea ad se pertinere, ut supra\* dictum est: quod prouenit ex amicitia, quæ facit amicos de eisdem gaudere, & contristari. Mansuetudo autem hoc facit, in quantum remouet iram incitantem ad vindictam. Clementia verò hoc facit ex animi lenitate, in quantum iudicat æquum esse ut aliquis non amplius puniatur. 9. 30. a. 2